







DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE  
**DESTINATIONE,** 53

15  
Von der  
**Bestimmung;** 1713/15

Quam,  
DIVINA ANNUENTE GRATIA.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO:

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO.

DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,**  
S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ atque CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESiarum, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS, CANONICO CAPITULARI SENIORE, & respectivè SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIQUE ERFFURTENSIS

PRO PRINCIPLE &c. &c.

IN ALMA & PERANTIQUA ELECTORALI ERFFURTENSIS ACADEMIA.

AUTORITATE & CONSENSU INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ,

PRÆSIDE

**JOANNE PHILIPPO Greiber/**

Philosophi, & J. U. D. ac Prof. Publ. Extraord.

Nec non REGIMINIS ERFFURTENSIS ADVOCATO,

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure HONORES ac PRIVILEGIA rite capessendi,

In Auditorio Rectorum Majori,

Die XXX. Augusti MDCC XIII.

Publicè disceptandam contexuit

**JOANNES LUDOVICUS Juncker/**

Notar. Publ. Cæsar. & Advocatus Hærenacensis Aulicus.

ERFFURT, Typis LIMPRECTIANIS.



DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

272

**ILLUSTRISSIMI**  
*REGIMINIS SAXO-ISENNACENSIS*  
*SPECTATISSIMIS*

DOMINIS

**CONSILIARIIS INTIMIS,**  
*RELIQUISQUE AULICIS,*

DOMINIS AC RESP. VIRIS

**PER-ILLUSTRIBUS,**  
**GENEROSISSIMO,**

**CONSULTISSIMIS**  
**ATQUE EXCELLEN-**

**TISSIMIS,**

DOMINIS MEIS GRATIOSIS,

NEC NON PATRONIS & PROMOTORIBUS

OMNI SUBIECTIONE VENERANDIS,

*DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM*

*EA, QUA PAR EST, ANIMI SUB-*  
*MISSIONE*

**DO, DICO, DEDICO.**

PRO LICENTIA

Jo. LUDOVICUS Juncker.





SYNOPSIS DISSERTATIONIS.

**P**refatio de propositis hominum variis loquitur, & ad nostrum propositum perveniendi occasionem præbet. Th. 1. Etymologiam vocis destinare tractat, Th. 2. ejus Synonymiam & Homonymiam ex classicis aliisque autoribus, & Th. 3. ex corpore Juris, exhibet. Th. 4. Tractationem realem totius dissertationis disponit; Th. 5. Definitionem Destinationis ad certum finem, der Bestimmung / continet. Th. 6. Pretium pecuniæ eminentis describit. Th. 7. agit de destinatione pecuniæ. Th. 8. auri, argenti, Th. 9. aliarum rerum. Th. 10. de Hypothecâ tacitâ, circa illata in prædium urbanum, loquitur. Th. 11. docet: per Destinationem prædia distingui in urbana & rustica. Th. 12. de aliis nonnullis destinationis effectibus positivis, & Th. 13. De hujus destinationis, pro determinatione ad certum finem acceptæ, effectibus, negativis tractat.

Epilogus

Lectori, Deoque opt. Max. gratias agit.

A 2

Pref-





J. N. D.  
P RÆFATIO.

**Q**uod in ore piorum est, proverbium: Homo proponit, DEus disponit; aliud nihil, quam hoc, innuit: Homines quidem sæpè aliquid faciendum aut peragendum destinare, quod tamen nullum sortiatur effectum, idque ex causis admodum variis. Velenim 1.) ipsi homines propositum suum non strenuè persequuntur; de quibus illud Comici dici potest, qui ait: Verum si incipies, neque perendes gnaviter; Et paulo post: Nihilo plus agis, quam si des operam, ut cum ratione insanias. Et hi quidem propositum habent, sed inconstans, & intentionem, ut philosophi loquuntur, inefficacem, movent, sed nihil promouent; Finem desiderant, sed media adhibere, partim, pro diversitate scopi, desidia, partim impietate impediuntur. Et hæc est illa à<sup>no</sup> Jacobi, de quâ Jacobus loquitur cap. 3, 16. Vel 2.) res ita comparata est, ut eam acquirere vel perficere aut (a) non possint; Et hoc iterum imprudenti sæpè festinatione hominum evenit, qui sibi aliquid proponunt, antequam accuratè considerent, an illud assequi viribus suis possint. Hi negligunt excellentis ingenti



ingenii & prudentia viri, ut Gellius cum prædicat lib. I. cap. 10. Noct. Att. Cesaris, consilium saluberrimum: Priusquam incipias consulto, & ubi consulueris, mature facta opus est, apud Salust. Aut (b) non debeant, quod flagitia sibi proposuerint, de quibus Pl. 7. v. 15. Vel (3.) denique & sapissimè quidem Deus ipse impedit, ne id, quod homines intendunt, perficiatur, & id quidem diversis iterum ex causis: Modo enim Deus impedit propositum malorum, ne bonis nocere possint, ut fecit Bileamo Numer. 22. v. 23. modo illud impedit, ut consilium suum procedat, ut saepe Christus fecit Judæis & Pharisæis, lapidare vel comprehendere eum volentibus. Modo etiam piorum consilia impedit, ne suo sibi capiti ipsi suant aliquid, & ita fecit Davidi, Nabalis excidium intendenti, I. Sam. 25. v. 32. 34. Et hæc quidem materia ampla satis est atque fecunda, quæ profectioribus, meo, ingenii spatiosum egrediendi, atque destinationes eventu & voto suo destitutas examinandi ac recensendi, campum aperire possit. Sed quoniam non omnis destinatio effectu suo cadit, sapissimè enim multas videre licet consequentias ex firmo proposito emanantes, præsertim in statu civili & politico. Hinc non inane esse putavi, si, loco speciminis inauguralis, de Destinatione, ejusque effectibus, tum positivis tum negativis, maxime in jure occurrentibus, pauca, pro ingenii modulo, attingerem potius, quam tractarem. DEUS O. M. qui proposita hominum disponit, & à quo unice omnis felicitas dependet, nunc quoque me ita dirigat, ut nihil, quod ipsius gloriæ, quod veritati, quod proximi commodo adversetur, proferam!

Th. I.





Theſ. I.



Riusquam verò ad rem ipsam perve-  
 niam, pauca de vocis significatione variâ de-  
 libabo. Eruditis enim consentientibus, ab-  
 surda est omnis tractatio, quæ ab explicati-  
 one nominis non capit initium; Et vero ar-  
 gumentum à Notatione nominis desumptum non usque adeo  
 leve est, ut pronunciat Bachov. *de action. Disp. 4. p. m. 161. in fin.*  
 Quod igitur Etymologiam attinet verbi: *Destinare*, componi-  
 tur illud à præpositione: *De*, & antiquissimo simul ac inusitato  
 verbo: *Stino*. vid. Dentzleri *Lexic. p. 748*. Græci non uno  
 promti sunt nomine, quo latinum nostrum verbum: *destinare*,  
 exprimunt. Jam enim (a) dicunt *προορίζω*, quod descendit ab  
*ἔροισ* determino, & hoc ab *ἔρος* terminus, quæ vox etiam in sa-  
 cris occurrit ad *Eph. 4. v. 11*. Jam (b) per vocem *προβλεψάμενος*,  
 quod componitur à *πρό* & *βλέψω*, & hoc descendit à *βλέπω* po-  
 no; est enim ejusdem verbum medium. Jam (c) dicunt: *διανοή-  
 σασθαι*, quod componitur ex *διὰ* & *νόησασθαι*, & hoc descendit  
 à *νόος*: mens, quasi in mente, sive, per mentem, verso. Jam (d)  
 dicunt: *ἀπὸ σκοπίου* ἢ *ἐκ σκοπίου*, quod componitur ab *ἀπὸ* à vel ab,  
 & *σκοπία*: ordino, à quo descendit *σκοπία*, ordo, & significat: se-  
 orsum pono, secerno, i. e. destino aliquid ad certum usum  
 vel finem, unde venit *ἀποσκοπίσις*, intentionem seu scopum si-  
 gnificans, & *ἀποσκοπιμένος*, ordinatus, destinatus cum delibe-  
 ratione & firmo proposito ad certum usum, qui significatus  
 maxi-





maximè Juridicus & hujus loci, nobisque proprius est. In eadem significatione occurrit in Sacris vox *אָרְבֵּי אֱלֹהִים* *Abbor. 13. v. 48. Rom. 13. v. 1.* Germani dicunt *verordnen / bestimmen / darzu ordnen / Vorsehen / Vornehmen / Vorhabens seyn / Willens seyn.* Hebræi, utpote vocabulorum copia non gaudentes, idem exprimunt per vocem *אָרְבֵּי* quod in genere notat, parari, præparari, destinari, in specie: consecrari, sanctificari. *Buxi, in Lexic. Hebr. p. 666.*

Th. II.

Synonymia vocis *Destinare* sine Homonymia ritè tractari non potest. Hinc conjunctim easdem indagabo. Varias vero hujus vocis esse significationes, ex Græcorum variis vocabulis, quibus hanc exprimunt, jam modo adductis, facile constat. Haud enim minus etiam apud Latinos varias hæc vox habet acceptiones. Notissima est, quando idem significat, atque constituere in animo, idem etiam *Vorsehen* / quod Græci per *διαβολῆσαι* vel *προβλεῖσαι* efferunt. Et in hæc significatione occurrit apud classicos aliosque Autores sæpius; e.g. apud Grot. de *J. B. & P. in Proleg. §. 30.* Tacit. *lib. 12. Annal. p. m. 212. ab init.* ibi: Certus destinationis (der seines Vorhabens gewiß ist) *Lib. 13. Annal. p. m. 182. n. 30. Lib. 14. Ann. p. 324. n. 30. Lib. 1. Hist. p. m. 401. n. 15.* aliosque, multoties. Alter significatus non minus usu vulgaris est, quò idem notat, ac assignare (aliquid ad certum usum, seu finem: bestimmen) ita Liv. ait *Lib. 3. bell. Maced. Destinare tempus & locum ad certamen.* Grot. de *J. B. & Pac. Lib. 1. c. 3. §. 12. n. 6. l. 2. c. 6. n. 11. pr.* Vellej. *Paterc. lib. 2. p. m. 96. ab init. & pag. 98. ab init.* Tacit. *lib. 13. Ann. p. m. 284. n. 15. lib. 1. Histor. p. m. 406. pr. & n. 15.* Et hoc Græci *προσῆλθε* vel *προσῆλθε* reddunt. Interdum idem notat, ac designare. Ita eà utitur Curtius *lib. 4. c. 8. §. 6.* *Fama est, quum Rex urbis future viros polentã, ut Macedonum mos est, destinasset, ubi Cellarius in Notã addit, destinare est designare. conf. ibid §. 2.* Interdum idem est, ac notare, uti etiam apud Curtium occurrit *lib. 7. cap. 9. §. 25. conf. lib. 6. cap. 9. §. 7.* Pluribus significationibus, quæ apud



apud alios auctores hinc inde occurrunt, diutius immorari non vacat.

Thef. III.

Si vero propius accedo ad propositum, sæpius etiam in *Juris Corpore*, ut jam nihil dicam de aliis *J*Ctorum scriptis, hanc vocem occurrere deprehendo. idque non minus significatione admodum variâ. Nam: destinare, pro in animo constituere, sive proponere, usurpat *Ulpianus* l. 23. §. 4. ff. ad L. A. quil. in verbis: de quo questionem habere destinaveram. Item in l. 8. §. 9. ff. de *Transf.* verbis: aut, si destinet domicilium transferre alter eorum. conf. leg. 3. pr. ff. de *Test. milit.* l. 76. ff. de *R. J.* ubi pariter agitur de destinatione animi. Pro assignare sive deputare, invenitur in l. 36. §. l. 66. pr. ff. de *Rit. Nupt.* Rubrica L. 7. & ipsa l. 7. §. 1. & 3. in ff. de *Jur. dot.* conf. l. 3. §. 1. §. 6. ff. de *Adminstr. & pericul.* l. 24. §. 2. 3. ff. de *Leg.* l. 71. §. 3. ff. de *Condit. & demonstr.* l. 101. *Dr. ff. eod.* l. 17. pr. l. 30. §. 5. l. 203. fin. ff. de *V. S. §. 4. Inst. de Leg.* ibi: que publico usus destinata sunt. Alius adhuc occurrit hujus vocis significatus apud *Triphoninum*, qui destinatum habere pro deliberare usurpat in l. 15. §. 4. ff. de *admin. & peric. Tutor.* ubi dicitur: aut cum destinatum haberet mutare testamentum, id non fecisse. vid. *Spiegelii Lexic. Jur. Ciuil.* voce: *destinatum*. Cæterum, quod destinata, des onsa, denominata, idem significant, non solum ex jam adductis ex *Titul. de Rit. Nupt. & Jur. Dot.* legibus, sed & ex l. 7. pr. ff. de *A. duli.* liquet.

Thef. IV.

Postquam igitur de vocabulo *Destinare*, ejusque variis accidentiis, pauca delibata sunt, nunc ad propositum me propius conferam. Enimvero hancce de *Destinatione* materiam dissecare possem in duas partes ita, ut in *Primâ* agerem de *Destinatione* seu designatione alicujus rei ad certum finem. usum sive scopum: der *Bestimmung*; & quid illa operetur & non operetur; in alterâ vero de *Destinatione* animi: dem *Vorsatz*; qua  
les



les illa effectus producat, eosque tum positivos, tum negativos. Quoniam vero, temporis angustia impeditus, utramque partem, in presentiarum publice exhibere non possum; igitur illud in commodiorem differam occasionem, quam eo diligentius investigabo, si compertus fuero; tenuem hunc laborem amico Lectori non displicuisse.

Thef. V.

*Per destinationem igitur alicujus rei ad certum finem et usum, nihil aliud intelligo, quam Propositum Domini firmum, rem quandam ad certum usum, licet alias non ordinarium, adhibere volentis, ad effectum deductum. Propositum firmum nuncupo hanc destinationis speciem; quia, si non est firmum, sed incertum & inconstans, nullum producit in jure effectum. Propositum Domini sit oportet, quia rerum arbiter esse debet, qui eis pro lubitu sic vel aliter uti cupit. Usus debet esse certus, si enim sit incertus, nemo scire potest, quem Dominus potissimum velit. Licet alias non ordinarium, non eo dixi, quasi res ad usum extraordinarium debeat adhiberi, & quem alias non praestat; Sed quia Dominus rem ad id adhibet, ad quod alias non solitus est adhibere, eamque hac ratione mutat, nam aliquid duobus modis mutatur (1.) ita, ut priorem formam retineat, quia tamen accidens novum supervenit, v.g. novo usui destinatur, mutari dicitur. (2.) si forma ipsa mutatur. Joh. Musæus de Usu ration, lib. 2. cap. 9. §. 25. n. 12. Ad effectum deductum debet esse propositum, nam si nondum res ad id est applicata vel verè vel proximè & praesumptivè, ad quod eam Dominus destinavit, certus juris effectus inde sequi non potest.*

Thef. VI.

Pleraque res ita sunt comparatae, ut non unum semper, sed nunc talem, nunc alium praestent usum; unde quae fungibiles dicuntur, quod aliarum fungi officio possint; inde etiam res ad Geradam pertinentes utensilia appellantur, quia usum habent magnum, eumque varium, Qua enim



re uno saltem modo uti possum, eâ facile possum abuti.  
 Hujus igitur generis sunt pecunia, aurum, argentum, alia-  
 que metalla, frumenta, merces, libri, ligna, suppellex varia,  
 horti, prata, agri, pecora, oves, boves, & alia innumera, qui-  
 bus omnibus ad commoditatem & necessitatem nostram uti  
 possumus; Eamque ob causam hæ res dicuntur pretio gaudi-  
 dentes, quia usum præstant in omni vita insignem; Inter  
 quas tamen omnes eminet pecunia, pretium eminens inde  
 appellatum, quia illud ad usum ferè omnes adplicari potest;  
 Nam aurum, argentum, frumenta, merces, pecora, agri, eâ  
 comparari possunt, & nihil est, quod non sit venale, modo  
 emptorem invenerit, siquidem

*Omnia divites habet, nam præstant omnia nummi,*

*Paling. lib. 2. v. 332.*

*Quidvis nummis presentibus opta*

*Et veniet clausum possidet arca Jovem.*

*Petron. Arbit. in pecun. vers. 9. Imò*

*Et Genus & formam regina pecunia donat. Horat.*

Pecuniæ itaque fructus maximus est, ut ait Cic. lib. 2. *Offic.*  
 cap. 18. in fin. conf. huc Joach. à Beust ad l. *Admonendi. ff. de Jure jur.*  
 n. 240. seq.

**Thes. VII.**

Sed quam varius etiam sit pecuniæ usus; tamen per desti-  
 nationem Domini restringi potest. Nam pecunia, quam Tes-  
 tator ad emtionem prædiorum destinavit, pro re immobili  
 habetur. Gail. *obs. præf. lib. 2. obs. 11. n. 6.* conf. Coler. *decis 286.*  
 n. 39. 40. Adeo, ut si ad feudum emendum sit ordinata à Tes-  
 tatore, filii ex eâ legitimam consequi non possint; Cum es-  
 nim vivo parente hæc pecunia à cæteris bonis est separata, ne-  
 quaquam deinceps, post mortem ejus, iisdem est permis-  
 scenda. Heig. *part. 1. qv. 26. n. 56.* quandoquidem voluntas tes-  
 tatoris pro lege servanda est. Text. in l. *ult. in fin. C. de Fideic.*  
 C. *Nov. 1. cap. 1. §. 2. versic. ut que disposita sunt.* Idem de pec-  
 unia



cunia transcripta sive ad Cambium collata, & de peculio patris-familias, h. e. de pecunia, quæ pro conservatione patrimonii reposita, & propterea pro immobili habenda est, judicandum venit. vid. Gail. *all. loc. n. 6. 7. 8.* Hic quæritur, an pecunia, quam pater seposuit, ut filio eam mittat ad studia prosequenda, filio dari debeat post mortem patris? Resp. quod sic. Nam: licet aliàs nuda destinatio parum efficiat; multa quoque animo patris familias concipiantur, quæ tamen non perficiuntur; Gail. *ibid. n. 4.* Tamen, quia destinatum pro facto & adimpleto habetur: *l. 19. §. 5. verſ. Et si non sunt, l. 22. ff. de aur. & argent leg. l. 55. §. f. de Leg. 3.* maximè si devenit ad aliquid opus non valde remotum à destinato, scilicet, si pater certam pecuniam à reliquâ selegit, in peculiari loculo asseravit, monetam eo in loco, ubi filius degit, currentem, comparavit, haud puto amplius dubitari posse, hanc destinationem Patris fuisse satis firmam, & intentionem efficacem. Si igitur voluntas patris defuncti liberis pro lege est, ut supra dixi, utiq; etiam voluntatem tam enixam & perspicuam implere tenentur. Sed objici heic posset: Iniquum fore, ut unus liberorum plus capiat, quam alii, cum tamen æquitas semper sit præferenda, per *l. 90. ff. de R. J.* nec constare, quo nomine hæc pecunia filio sit attribuenda, quæ itaque nullum nomen habeant, ea nec consistere posse. R. Non est iniquum, ut pater uni liberorum plus attribuat, quam alteri; hæc enim accurata æqualitas non requiritur inter liberos. Imo pater rerum suarum arbiter est, easq; pro arbitrio huic vel illi dare potest, modo legitima liberis sit salva. Nec obstat, quod deficiat nomen; nam quid impedit, quo minus præcipui nomine hæc veniat pecunia? Et licet ea, quæ non sunt, nominari nequeant, arg. *l. 135. ff. d. R. J.* tamen vice versa non licet argumentari: Non nominantur, E. nec sunt. Pariter pecuniæ, si adhuc Calendario i. e. nominibus faciendis destinatæ sunt, fidei commissio cedere solent, Spiegel, in *Lex. Jur. voc. Calendarium, in fin.* Ita sancta dos amplius



plus fungi non potest. Est autem dos functa, dos marito data, ad onera matrimonii sufferenda, nam, fungi res dicitur, cum ad usum, in quem destinata est, traducitur. Ulpian. *Fur. stit. lib. 1. Tit. 7. §. 8.* & Pacius *ibid. lit. (b)* De illis nominibus, quæ apud extraneum debitorem sunt constituta, quorum solutio ad locum domicilii Creditoris est destinata, magistratui domicilii detractio illa, der Abschluß debetur. *Berz. lich. part. 3. Concl. 52. n. 76.* Nomina de bonis esse dicuntur illius Territorii, ubi eorum exactio fieri potest, hoc est, de loco eo, ad quem solutio est destinata. *ibid. n. 78.* Nam ad certum solutio locum destinari potest, licet in eo contractum non sit. Tunc autem debitor monetam eo in loco, ubi solutio destinata est, valentem solvere tenetur, licet in eâ civitate, ubi creditor degit, reprobata sit. *Berl. p. 2. Concl. 35. n. 32. & Concl. 36. n. 28. Richt. dec. 76. n. 134. 135.*

Thef. VIII.

Ad alia pecuniæ confinia progredior, ubi statim sese offert legatum auri, argenti, similiumque rerum; unde quaeritur: Si alicui legata sint certa vasa aurea vel argentea ornata lapillis; utrum & hi debeantur? quod affirmatur per *l. 19. §. 13. 14. 15. 16. ff. de auro. argent. & c. legat.* ubi habetur, quod gemmæ margaritæque auro, argento, annulisve inclusæ cedant, idque ob eam causam, quia sunt illius accessio. *Utra autem utrius materia sit accessio, visu atque usu rei, consuetudinis patris familias æstimandum est. l. 29. §. 1. ibid.* Auro factio legato, quod testator auri numero habuisset, legatum deberi dicitur. *l. 32. §. 1. cod.* Similiter argento potorio vel escario legato, in his, quæ dubium est, cujus generis sint, consuetudinem patris familias spectandam. *d. l. §. 2.* Si in obscuro sit, utrum argentum electro vel contra cedat, inspiciendum est, in utro numero ea vasa is, qui testamentum fecit, habuerit. *§. 1. ibid.* Quam igitur multas hæc observatio dirimat quaestiones, heic clarum satis fit.

Thef. IX



\* ( 11 ) \*

Thef. IX.

Alias res quod attinet, non minus domini destinatio effectum in eis sortitur perspicuum. Nam destinatione sunt pertinentiæ, Gail, *lib. 2. obs. 11. n. 5. & obs. 62. n. 5.* Siquidem coherentia sola non facit pertinentiam, sed consuetudo & destinatio. *l. 17. §. 7. l. 38. ff. de Act. Em. Kresf. Specim. Jurispr. lib. 1. Tit. 2. §. 4.* Sola adjacentia vel confinatio locum vicinum de pertinentiis castri non facit, Vult. *2. F. 3. n. 10.* Anonym. Spir. *Resp. 67. f. 389.* Alioquin sequeretur infinita dominiorum confusio. *Fich. Conf. Germ. 151. n. 11.* Pertinentiæ itaque destinatione & voluntate patris familias constituuntur. *Innoc. in c. cum ad sedem. n. 2. 3. de restit. spoliat. Rosenth. de feud. cap. 22. concl. 15. n. 76.* Concessione scil. vel expressâ vel tacitâ per longum tempus ejus, cujus interest, & remissione juris sui. *Agricol. in Diss. de Pertinentiis n. 4.* Si vero qualitas pretii & valor rei diversum svadeat, tunc, ad evitandam iniquitatem & inæqualitatem, aliquid de pertinentiis rei esse non censetur. *Berl. p. 2. dec. 191. n. 36. Sichard. & Brunn. ad l. per diversas. C. mand. n. 4. Franzk. lib. 1. Resol. 8. n. 4. Grot. lib. 2. cap. 12. §. 8. 11. 12. de J. B. & P.* Comparatio enim pretii, facta ad rem, ostendit, quanti sit venditum. *arg. l. 1. ff. de R. D. Gl. in l. 114. ff. de R. J. Alexand. Conf. 14. in fin. Vol. 1.* Itaque non modo sunt destinatione pertinentiæ, sed & tales esse probantur, si pater familias semper putavit & voluit, hanc rem, v. g. hortum ad illud prædium pertinere. Castro vero vel prædio concesso, simul concessæ intelliguntur pertinentiæ. Quæ vero illæ sint, vid. *Gail. l. 2. obs. 69. n. 7.* Contra; separata feuda dicenda, quæ à diversis dominis concessa, quamvis sub unum corpus redigantur, & in eodem territorio sita sint, *2. F. 52. §. satis bene. Beth. de Pact. famil. illustr. cap. 10 fol. 629.*

Thef. X.

Satis digna est materia de hypothecâ tacitâ sive legali circa illata in prædium urbanum, quæque toto die in com-



muni vita & præxi juridica occurrit. Sed eam in destinatione, de qua agimus, se fundare, probari facile potest. Quando enim aliquis prædium urbanum v. g. ædem conducit, inque illud res suas, supellectilem, merces, aliaque infert; tunc ea illata non omnia sub hypothecâ sunt, sed illa solum, quæ destinavit semper, scil. quamdiu ibi habitat, in eo manere. Non enim omnia illata vel inducta, sed ea solum, quæ, ut ibi sint, illata fuerint, pignori sunt, l. 7. §. i. ff. in quibus caus. pign. tacit. quod Gothofredus *ibid.* n. 42. ita explicat: *ibi sint perpetuo, non ad tempus, nam perpetuitatis ratio nobis spectanda.* Et Struv. *perpetuo, h. e. quamdiu durat locatio*, exponit. *Syn. J. C. Ex. 26. th. 19. conf. l. 32. & 33. ff. de pignor. vid. Gothofr. ad l. 2. n. 19. ff. de migrando.* Omnes itaque res eo animo in prædium urbanum illatæ, ut, quamdiu durat locatio, ibi maneant, tacite domino ædium sunt oppignoratæ, ut, si conductor mercedem non solvat, vel prædio damnum inferat, domino liberum sit, illata præcludere, & ita de solutione sibi prospicere.

Imò, si quædam res ante hanc præclusionem sunt alienatæ, scil. de iis, quas inquilinus, ut perpetuo ibi sint, destinavit, dominus contra possessorem potest agere, ut ea restituat; non enim pignoris jure eximuntur. l. 15. C. de pignor. l. 12. C. de distract. pign. Hinc ergo sequitur, quod ea res, quam conductor emit hæc mente, ut statim vendat, vel donet, vel aliâ ratione iterum dimittat, pignori tacito non subfit, nec eam persequendi dominus potestatem habeat, quia non eo est illata, ut perpetuo ibi maneat. Hinc & illud fuit: Si conductor mercaturam agat, dominus singulas merces sub pignore habere non possit, nam ad id non sunt destinatæ à mercatore, ut perpetuo ibi maneant, sed, ut quam primum iterum carè vendantur, omni voto exoptat. Nihilominus interim merces, licet non in specie, tamen in genere obligantur. Nam, quia mercator semper mercari vult, semper debet merces in promissis



promptu habere ; & ideo semper in presentes hypothe-  
 theca competit . l. 13. pr. & l. 34. pr. ff. de pign. & hy-  
 poth. Merces autem, sive res promercales, sunt, quæ venditioni  
 sunt destinatae. Gothofr. n. 54. ad l. 10. ff. de Impens. in res do-  
 tal. Huic quadantenus affine est, utpote ex eadem prove-  
 niens destinatione, quod res, quæ perpetuo usui in prædiis  
 aliorum territoriorum sunt destinatae, ad Utenfilia v. g. vel  
 comestibilia &c. non pertineant, ut Rauchb. part. 1. quest.  
 17. n. 22. 23. contra Colerum contendit.

Thef. XI.

Cæterum, si, quid urbanum, quid rusticum prædium sit,  
 dijudicare quis velit, non minus illud ex destinatione domi-  
 ni cognoscendum venit. Leges quidem valde sollicitæ sunt,  
 ut accuratè, quæ prædiorum species inter urbana, quæ inter  
 rustica censenda sint, doceant, sed nullam tamen fermè con-  
 sonantem definitionem alterutrius afferunt. Prædium in  
 genere est res corporalis immobilis; generale enim nomen est;  
 nam & ager & possessio hujus nominis species sunt l. 115. ff. de  
 V. S. In specie prædium urbanum est, quod usum urbanum;  
 Rusticum, quod rusticum habet. Nam ex fine & destinati-  
 one hæc discerni debent; siquidem urbanum prædium non lo-  
 cus facit, sed materia. l. 198. ff. de V. S. ut nec rusticum. Est  
 autem usus urbanus prædii imprimis, ut habeatur (1.) vel ad  
 inhabitandum, (2.) vel ad pensionem recipiendam (3.) vel  
 ad commercia exercenda. (4.) vel ad voluptatem inde ca-  
 piendam. Primi generis sunt omnes domus, quas inhabi-  
 tamus, sive in urbibus sive in villis posita sint, quo etiam præ-  
 toria pertinent, quæ, juxta veteres sunt, pars villæ lautius præ-  
 parata. l. 2. ff. de servit. rustic. præd. quæ non incommodè Cassitue-  
 ben/ sive Cass. Gemächer / diceret. Corvin. ad l. 198. ff. de V. S. ut &  
 omnia ædificia ad usum & necessitatem hominum aptata. v. g.  
 Brauhäuser/ Backhäuser/ Mühlen &c. Secundi generis sunt  
 meri-



meritoria, cauponæ, stabula & omnis generis hospitia, ubi vel peregrini aliquot dies pernoctant, vel inquilini ad certum tempus recipiuntur, quia omne id pertinet ad pensionem lucrandam. Tertii generis sunt domus mercatorum, tabernæ mercimoniorum, Kram / Läden / Gewölbe / Kauff-Häuser / Pack-Häuser (allwo die Waaren ein und ausgepackt zu werden pflegen) Caffee-Häuser / Wagen &c. Ad quartum denique genus non solum pertinent horti ad amœnitatem & voluptatem comparati, sed & domus ad id ædificatæ, v. g. Lust-Wälder / Lust-Gärten / Garten-Häuser / Lust-Häuser / Neut-Spiel-Ball-Opern-Comœdien-Häuser &c. Usus rusticus omne id sub se comprehendit, quod ad agrum colendum, fructus colligendos, & conservandos, pecoraque ad hoc necessaria continenda, pertinet. Prædia igitur rustica sunt omnes agri, cujuscunque generis prata, Huthweyden / Sylva ad pascendum vel lignandum, horti propter redditus constituti, stabula pecorum rusticorum, horrea, granaria, aliaque hujus generis. Inde satis claret, stabula equorum, qui ad voluptatem & commoditatem, non ad agrum arandum habentur, Marställe / prædia non rustica esse, sed urbana. Usus hujus materiæ non minimus est, tum in materiâ servitutum, tum in materiâ taciti pignoris, tum in materiâ legatorum & aliis. Quamvis sint, qui discrimen constituent inter prædia rustica & urbana, respectu servitutum & respectu taciti pignoris circa invecta; ibi, dicentes, prædium urbanum nominatur omne ædificium, sive domus sit, sive stabulum, hic vero prædium urbanum dicitur saltem ædificium habitandi gratia constitutum, vid. *Brunn in Comm. ad L. 2. §. de Servit.* Fundus destinatione fit, adeo enim opinio nostra & constitutio locum à fundo separat, ut & modicus possit fundus dici, si fundi animo eum habuimus. Non enim magnitudo locum à fundo separat, sed nostra affectio. *l. 60. ff. de P. S. conf. Corvin. ad b. l.*

Thef. XII.



Non solum vero in his, quas hactenus attigi, materiis, destinationis effectus est non inconspicuus; sed & in aliis pluribus, quas tamen omnes evolvere ratio prohibet temporis. Non solum enim urbana prædia per destinationem Domini præcipue efficiuntur, sed & ea, quæ in ædificiis sunt, destinatione afficiuntur. *Ædificiis* siquidem in feudum datis, omnia ea, quæ perpetui usus causa in iis posita sunt, dantur. Ludw. *Synops. J. F. cap. 12.* Ad ædes enim destinata, pro immobilibus habentur. Coler. *Decis. 256. n. 165. 166.* Nam, quia perpetuo, ut ibi sint, destinata sunt, non possunt ab ædibus separari; hinc simul cum illis conceduntur. Siquidem res mobilis in locum aliquem delata, ut ibi sit & maneat, idem juris obtinet in ipsâ, quod circa rem immobilem est receptum, ut scilicet ubi sita est, vendicari possit. Carpz. *Proc. Tit. 3. a. 3. §. 2. n. 11.* Vid. Gail. *de P. P. lib. 1. cap. 6. n. 26. 27. 28.* Hinc eodem venit: quod ædificia in fundo feudali extracta non pertineant ad heredes allodiales, sed ad successores feudales; sic Resp. Lipsi. M. Majo. 1603. *Bechm. in Colleg. ad Synops. Ludw.* Molendina, quamvis inter Dd. disputetur, ad immobilia an mobilia referri debeant, tamen, si extracta sint, in rebus ad feudum pertinentibus ad successores feudales transferuntur. Sylva in feudum concessâ, & arbores concessâ videntur, arg. l. 2. ff. *de Jurisd.* quia sylva præcipue ad id destinatur, ut ligna inde cædantur. Nisi aliud actum sit, Ludw. *ibid.* Hinc est, quod piscinâ vel stagno in feudum dato, jus piscandi concessum videatur, quia ad id destinatur, & sine eo nulla ejus utilitas. Nisi tamen sit vivarium: est Behälter, ubi pisces solum custodiæ causa sunt, quia illæ non ad id destinatæ sunt, ut eos piscari liceat. Pisces, quoque pro fructificatione in lacum coniecti cedunt heredibus allodialibus, quoniam sunt instar fructus, seu rei mobilis. Si legatur genus in numero singulari, tunc, si res à natura sit,

C  
eligit



eligit Legatarius mediocrem, si a destinatione hominis, eligat hæres, quam dare velit. *Kress. Specim. Jurispr. lib. 2. Tit. 12. §. 14.* Exemplo rem illustrabo. Si Testator leget eqvum: ein Pferd / tunc Legatario mediocrem eligere licet; Sin vero leget ein Gespann Kutsch, Pferde / tunc hæres, quod velit, legatario dabit. De aqua æstiva lex ait: Ego puto probandum, ex proposito utentis & ex naturâ locorum aquam æstivam à cottidiana discerni. Nam si sit eâ aqua, quæ perpetuo duci possit, ego tamen ætate sola eâ utar, dicendum est, hanc aquam esse æstivam, *l. 1. §. 3. de agr. Cottid. & æstiv.* Forum rei sitæ pertinet ad rem mobilem, si in loco certo destinata, ut jura incorporalia, annuus census ac vindicatio chirographi. *Besold. p. 1. cap. 1. n. 10.* Navis, si hæc mente resoluta sit, ut in alium usum tabulæ destinarentur, licet mutato consilio perficiatur, tamen & perempta prior navis, & hæc alia dicenda est, *l. inter stipulantes. 83. §. 5. in med. ff. de V. O.* Qui triticum stipulatus, destinare genus & modum voluit & non fecit, nihil stipulatus videtur. *l. 94. ff. eod.* Hos & similes effectus destinationem sequi nemo mirabitur, qui cogitabit; destinationem pro actu perfecto esse nonnunquam. arg. *l. 11. & l. 21. §. 1. ff. de acquir. vel amit. hered.* quæ regula, utut partim magis ad alteram destinationis speciem, quod propositum voco, pertineat, partim multas exceptiones patiat; tamen optimam rationem omnium destinationis effectuum suppeditat. Nam, quia sæpe, ne dicam semper, destinatio animi basis & fundamentum est destinationis rei ad certum finem & usum; ab illa ad hanc colligere optimâ ratione licet. Et hi sunt destinationis rei ad certum scopum effectus, quatenus quidem in præsentiarum afferre licuit; Quid verò ea non operetur, ad id nunc progredior.

Thef. XIII.

Sæpe de facultatibus suis amplius, quam in his est, sperant homines, §. 3. *Instit. qui & ex quibus caus. manum*, unde non raro



raro evenit, ut hoc vel illud disponant, hanc vel illam rem ad id destinant, quod tamen multoties frustra est, partim: quia ipsa rei natura obstat, partim quia legum dispositio effectum impedit. Non enim semper destinatio domini, rem quandam ad certum usum adhibere volentis, valida est, nec esse debet; nam, ut alia plura, ita veritas rei, destinatione animi, mutari nequit *arg. l. 1. §. 4. de adq. vel amitt. poss.* veritas enim immutabilis est, quia natura, quæ veritatem amat, immutabilis est; siquidem naturalia jura semper immutabilia permanent. *§. 11. Just. de 7. N. G. & C.* Hinc est, quod: si quis prædium teneat jure feudali, illud jure alio, ut emtionis, donationis, possidere non possit, nam, quia rei veritatem mutare destinatione non potest, ideo nec possessionem. Possessio ipsa destinatione mutari non potest, at nec causa possessionis. *l. 3. §. 19. l. 18. pr. ff. de adq. vel amitt. poss.* Nam si semel ex causa ad transferendum dominium habili aliquid juste possiderat, illud ex alia causa possidere nequit. Licet enim ex pluribus idem possideri. *l. 1. §. 4. ff. de A. vel. A. poss.* licet etiam aliquo amisso ex alia causa recuperari possit. *l. 19. §. 1. ff. eod.* non tamen potest eadem possessionis causa in aliam, per nudam destinationem mutari, natura enim mater est possessionis; ea autem immutabilis est, Schnobel. *ad 7. Disp. 20. Th. 21.* Res destinata ad piam vel sacram causam, non habetur pro pia vel sacra. *§. 8. Just. de R. D. Hopp. in comm. ad h. l. n. 1. & l. 6. §. 3. ff. eod. l. si nondum, 3. C. de furtis & serv. corrupt.* Sub legato scriptorum librorum non veniunt destinati ad scribendum, neque cæpti scribi, si non sint perscripti; quando enim opus valde est remotum ab eo, ad quod destinatur, destinatio nihil operatur. *l. librorum, 32. §. undenon male §. ff. de Leg. 3.* Ex eodem destinationis defectu est, quod, domo cessâ vel legata cum omnibus repositis ac pertinentiis, non veniant jura & actiones. *l. 92. §. fin. ff. de Leg. 3.* Destinatione etenim, quâ reposita & pertinentiæ ad domum referuntur, effici nequit, ut jura & actiones, quæ in jure tam



tam plurimis prerogativis gaudent, inter pertinentias domus numerentur, quia sunt plane diversa. Unde non presumitur: ea ad pertinentias esse destinata. Si stipulatus fuero de te, vestem tuam, quaecunque muliebris est, dare spondes, magis ad mentem stipulantis, quam ad mentem promittentis id referri debet, ut, quid in re sit, aestimari debeat, non quid senserit promissor. *l. 110. §. 1. ff. de V. O.* Ratione injuriarum per scripturam illarum locorum delicti non est ille, ad quem literarum destinantur, sed iste, ubi scribuntur. In contractu autem aliud obtinet. Theodor. *Disp. Crim. 42. aph. 2. n. 45. fin. §. 46.* Domicilium, quod dicitur originis, destinatione mutari nequit, quia naturale est. Gail *p. 2. O. 36. n. 5.* Non totus, qui sepulturae destinatus est, locus, fit religiosus, sed, quatenus corpus humatum est. *l. 2. §. sepulcrum 5. ff. de relig. & sum. funer.* Beust. *ad L. admonendi. p. m. 674.* Plures huc conferri possent destinationis effectus, et negativi; sed temporis angustia impeditus, nunc subsisto.

Epilogus.

Et haec sunt, Lector benigne! quae de destinatione ad certum finem, ejusque variis effectibus, tum positivis tum negativis, disserere potius, quam tractare destinaveram. Si quae emendanda invenies, benevole corrige, vitiaque mihi, nondum istis in rebus satis exercitato, condona. Si quae sunt, quae Tibi arrident, mihi gratulor, Tibique gratias habeo. DEO vero, omnis boni datori unico, devotas persolvo grates; quod ipse sua ope me juvare clementissime voluerit, eumque precor, ut omnia in suam gloriam, proximique commodum, dirigere velit.

Er muntree Tugend, Gleiß/  
 Bringt endlich Ehr und Preis.  
 Man kan ein Beyspiel finden/  
 Wann Dir / O Muse, Sohn/  
 Die Geraninnen winden  
 Die wohlverdiente Eron.


Solches wolte aus langgepflogener Freundschafts-Pflicht dem Herrn  
 Licentiate Glückwünschend übersenden  
 Conrad Böck / Heerda-Thuringus, SS, Th. Stud.



Erfurt, Diss., 1713-14.

X 2386.987









DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE  
**DESTINATIONE,**

von der  
**Bestimmung;**

15  
5-3  
1713/15  
*Quam,*  
DIVINA ANNUENTE GRATIA.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO:  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,**  
S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ atque CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSI-  
LIARIO INTIMO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESIA-  
RUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS, CANONICO CAPITULARI  
SENIORE, & respectivè SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINEN-  
TISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO  
INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIQUE ERFFURTENSIS  
PRO PRINCIPE &c. &c.

IN ALMA & PERANTIQUA ELECTORALI ERFFUR-  
TENSIS ACADEMIA,  
AUTORITATE & CONSENSU INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ,  
P R Æ S I D E

**JOANNE PHILIPPO** *Sreiber/*  
Philosoph. & J. U. D. ac Prof. Publ. Extraord.  
Nec non REGIMINIS ERFFURTENSIS ADVOCATO,  
PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure HONORES ac PRIVILEGIA  
rite capeßendi,

*In Auditorio Actorum Majori,*  
Die XXX. Augusti MDCC XIII.  
*Publicè discutiendam contexit*

**JOANNES LUDOVICUS** *Junker/*  
Notar. Publ. Cæsar. & Advocatus Iennacensis Aulicus,

ERFFURTI, TYPIS LIMPRECTIANIS,